

HOLY SEE PRESS OFFICE  
OFICINA DE PRENSA DE LA SANTA SEDE



BUREAU DE PRESSE DU SAINT-SIEGE  
PRESSEAMT DES HEILIGEN STUHLS

# BOLETTINO

SALA STAMPA DELLA SANTA SEDE

N. 211120c

Saturday 20.11.2021

## Letter to the Holy Father's Special Envoy at the celebration of the 150th anniversary of the founding of the Pro Petri Association (Brussels, 27 November 2021)

On 25 September, the Holy Father appointed His Eminence Cardinal Dominique Mamberti, prefect of the Supreme Tribunal of the Apostolic Signatura, as his special envoy to preside at the Holy Mass to be celebrated on the occasion of the 150th anniversary of the founding of the Pro Petri Sede Association, on 27 November 2021, in the Basilica of Koekelberg in Brussels.

The following is the letter sent by the Pope to Cardinal Dominique Mamberti:

### Letter of the Holy Father

Venerabili Fratri Nostro

**Dominico S.R.E. Cardinale Mamberti**

Praefecto Supremi Tribunalis Signaturae Apostolicae

“Prae gravibus socialis et oeconomiae iniustitiae formis civilisque corruptionis quibus integri populi ac Nationes afficiuntur, [...] vulgatior in dies et acrior fit personalis socialisque absolutae renovationis necessitas cuius vi provideantur iustitia, mutua hominum necessitudo, probitas, rerum perspicuitas” (s. Ioannes Paulus II, *Veritatis splendor* 98). Quae necessitas discriminis hoc tempore usque magis percipitur. Revera, “individualismus indifferens inhumanusque in quem incidimus nonne ex segnitia quoque oritur altiorum bonorum perquirendorum quae circumstantiarum necessitates praetereant? Relativismo additur periculum ne quis potens aut vafror praesumptam veritatem inferre valeat” (*Fratelli tutti* 209).

Cum quidem novimus superiore anno Bruxellis faustum iubilaeum centum quinquaginta annorum celebraturam *Consociationem Pro Petri Sede*, quae actuosum tot per annos prosequitur opus solidarietatis et

caritatis explere contra indifferentiam et individualismum, Nos toto corde sodales eius et cooperatores nobili in hoc proposito confirmare cupiebamus. Attamen, ob sinistra rerum adiuncta, tantummodo hoc anno potest memorabilis haec anniversaria memoria debite celebrari.

Referente autem Venerabili Fratre Augustino Kasuja, Archiepiscopo titulari Caesariensi in Numidia atque illo tempore Nuntio Apostolico in Belgio, urbanam iteratamque ad Nos petitionem ut huiusmodi iubilarem eventum praesentia eminentis Delegati Nostri honorare dignaremur, quam scripto manifestavit memoratae *Consociationis Pro Petri Sede Praeses*, illustris Dominus Bruno Nève de Mévergnies, qui olim etiam munere Oratoris Extraordinarii apud Nos et Sedem Apostolicam functus est, libenter hanc accepimus postulationem.

Tu vero, Venerabilis Frater Noster, qui in quadraginta annis sacerdotii tui tam diu in Sanctae Sedis ministerio fidem et caritatem comprobasti, nunc autem magni ponderis officio fungeris Supremi Tribunalis Signaturae Apostolicae Praefecti, prorsus Nobis dignus videris cui peculiare hoc munus committamus. Quapropter hisce Litteris te constituimus **NostrumMissum Extraordinarium** ad centesimam quinquagesimam anniversariam memoriam fundationis *Consociationis Pro Petri Sede* die XXVII proximi mensis Novembris, videlicet in pervigilio Dominicæ primæ Adventus, Bruxellis in Basilica Sacratissimi Cordis Iesu loci Koekelberg explendam.

Sacris celebrationibus nomine Nostro praesidebis et omnes adstantes salutabis atque ad renovatum studium apostolicum hortaberis ita ut, vi spei quae ex fide oritur, amore erga Deum accensi, pietate, actuosa caritate ac tota vita laudes Ipsi praebant, quoniam in aeternum misericordia eius.

Nos precibus tuam sustinebimus tantam missionem, dum iam nunc enixe te, Venerabilis Frater Noster, committimus amantissimae tutelae Sanctae Dei Genetricis Virginis Mariae et beati Pii IX qui Ecclesiae Supremus Pastor fuit tempore quo memorata Consociatio orta est. Apostolicam denique Nostram Benedictionem copiose tibi imprimis elargimur, cum omnibus ad quos mitteris profuse communicandam.

Ex Aedibus Vaticanis, die XXIX mensis Octobris, anno MMXXI, Pontificatus Nostri nono.

FRANCISCUS

---